

bus, abierunt in porcos; & ecce magno impetu abiit totus grex praecipit in mare, & mortui sunt in aquis. Erubescat Manichaeus. Si de eadem substantia, & ex eadem origine hominum, bestiarumque sunt animae, quomodo ob unius hominis, vel duorum salutem, duo millia porcorum suffocantur? *Chrysostomus* in hom. (29. in Matth. à med.) Ideo autem porcos daemones occiderunt, quia ubique homines in mactitiam mittere student, & de perditione lætantur. Damni etiam magnitudo augebat ejus quod factum erat, famam: à multis enim divulgabatur, scilicet ab his qui curati erant, à porcorum dominis, & à pastoribus: unde sequitur: *Pastores autem fugerunt, & venientes in civitatem nuntiaverunt omnia, & de his qui daemonia habuerant: & ecce tota civitas exiit obviam Jesu.* Sed cum deceret eos adorare, & admirari virtutem, emittebant eum à se: unde sequitur: *Et viso eo rogabant eum ut transfret à finibus eorum.* Intuere autem & Christi mansuetudinem post virtutem: quia enim beneficia adepti abigebant eum, non restitit, sed recessit; & eos qui indignos se nuntiaverunt ejus doctrina, dereliquit, dans eis doctores liberatos à daemonibus, & porcorum pastores. *Hieronymus* (loco cit.) Vel quod rogant ut transfret fines eorum, non de superbia hoc faciunt, sed de humilitate, qua se indignos Domini praesentia judicabant; sicut & Petrus ait (Luci 5.) „ Exi à me Domine, quia vir peccator sum. “ *Rabbanus*. Interpretatur (1) autem Gerasa colorem ejiciens, vel advena propinquans, hoc est Gentilitas, quae diabolum à se ejecit: & quae prius longe, modo facta est prope, post resurrectionem visitata à Christo per praedicatorum. *Ambrosius* super Lucam (cap. 8.) Duo quoque daemones figuram populi gentilis accipiunt: quoniam cum tres filios Noe generavit, Cham, Sem, & Japhet; Sem tantummodo familia in possessionem accita est Dei, ex duobus autem aliis nationum populi pullularunt. *Hilarius* (can. 8. parum ante med.) Unde extra urbem, idest extra legis, & Prophetarum synagogam, duos homines in monumentis daemones detinebant; duarum scilicet gentium origines, intra defunctorum sepulchra, quibus non Dei sermo, sed anima peccantis morte (2) recluditur? Dicit autem: *Ita ut nemo possit transfret per viam illam:* quia ante adventum Salvatoris in via Gentilitas fuit. Vel perditos, Judaeos, & Gentes accipe, qui non habitabant in domo; idest, in conscientia sua non requiescebant. In monumentis manebant, idest in operibus mortuis delectabantur; nec sinunt per viam fidei, quam viam Judaei (3) impugnabant, aliquem transfret. *Hilarius* (can. 8. circa med.) (4) Occursu autem eorum, concurrentium ad salutem voluntas indicatur. Videntes autem daemones non sibi jam locum in Gentibus derelinqui, ut patiarer habitare se in haereticis deprecantur; quibus occupati, in mare, idest in cupiditatem saecularem, daemonom praecipitantur instinctu, & cum reliquarum Gentium infidelitate moriuntur. (a) Vel porci sunt qui turulentis delectantur actibus: nam nisi quis porci more vixerit, non in eum diaboli accipiant potestatem; aut ad probandum tantum; non ad perdendum (5) accipiunt. Quod autem in stagnum praecipitati sunt porci, significat quod, etiam liberato populo Gentium à damnatione daemonom, in abditis agunt sacrilegos ritus suos qui Christo credere noluerunt, (6) caeca, & profunda curiositate submersi. Quod autem pastores porcorum fugientes ista nuntiant, significat quosdam etiam primates impiorum, (7) qui quamquam christianam legem fugiant, potentiam tamen Christi stupendo praedicare non cessant. Quod autem magno timore percussus, rogant ut ab eis discedat, significat multitudinem, vetusta sua vita delectatam, honorare quidem se nolle christianam legem, dum dicunt, quod eam implere non possunt. *Hilarius* (ut supra.) Vel urbs illa Judaici populi habuit speciem, quae Christi operibus auditis, Domino suo obviam pergit; prohibens ne fines suos urbemque contingeret; neque enim Evangelia (8) recepit.

(1) *Al. omittitur* autem. (2) *Al. excluditur*. (3) *Al. impugnant*. (4) *Al. Occursus*. (5) *Al. accipiunt*. (6) *Al. caecati*. (7) *Al. deest*. qui. (8) *Al. recipit*. *P. Nicolai* habet lex recepit.
 Ex edit. *P. Nicol.* (a) *Beza* in Luc. cap. 8.

(a) **ET** ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, & venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Videns autem Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili: remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se, Hic blasphematur. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, Surge, & ambula? Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suam. Videntes autem turbæ, timerunt, & glorificaverunt Deum: qui dedit potestatem talem hominibus.

(b) Et cum transfret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, Sequere me. Et surgens secutus est eum. Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi Publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus. Et videntes pharisæi, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester? At Jesus audiens ait: Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. Euntes autem discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.

(c) Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes: Quare nos, & pharisæi jejunamus frequenter; discipuli autem tui non jejunant? Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus. Tollit enim plenitudinem ejus à vestimento, & pejor scissura fit. Neque mittunt vinum novum in utres veteres. Alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conservantur.

(d) Hac illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum dicens: Domine, filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet. Et surgens Jesus sequebatur eum, & discipuli ejus. Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. At Jesus conversus, & videns eam, dixit: Confide filia: fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora.

(e) Et cum venisset Jesus in domum principis, & vidisset tibiens, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum ejecta esset turba, intravit, & tenuit manum ejus, & dixit, Puella, surge. Et surrexit puella: & exiit fama hæc in universam terram illam.

(f) Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo caeci clamantes, & dicentes: Misere nostri Fili David. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum caeci: & dixit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei, Uti que Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum; & comminatus est illis Jesus dicens: Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamaverunt eum in tota terra illa.

(g) Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum daemonium habentem: & ejecto daemonio locutus est mutus: & miratae sunt turbæ dicentes: Numquam apparuit hic in Israël. Pharisæi autem dicebant: In principe daemonomiorum ejicit daemones.

(h) Et circumibat Jesus omnes civitates, & castella, docens in synagogis eorum, & praedicans Evangelium Regni, curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Videns autem turbas miserum est eis, quia erant vexati, & jacentes: sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Mesis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum melsis ut mittat operarios in messem suam.

(a) **C**hrisostomus in hom. (30. in Matth.) Monstravit superius Christus suam virtutem per doctrinam, quando docuit eos ut potestatem habens; per leprosum quando dixit, *Volo, mundare*; per Centurionem, qui dixit: *Dic verbo, & sanabitur puer meus*; per mare, quod verbo refranavit, per

daemones, qui eum constabantur: hic autem rursus alio majori modo inimicos ejus cogit confiteri aequalitatem honoris ad Patrem: unde ad hoc ostendendum subditur: *Et ascendens Jesus in naviculam, transfretavit: & venit in civitatem suam.* Navigium autem intrans pertransit qui de mare poterat pertransire: non enim semper

mirabilia volebat facere, ne Incarnationis noceat rationi. *Joannes* (a) Episcopus. Creator autem rerum, orbis terrarum Dominus, postea quam se propter nos nostra angustavit in carne, cepit habere humanam patriam, cepit civitatis Judaicae esse civis, parentes habere cepit parentum omnium ipse parens, ut attraheret caritas quos dispererat metus. *Chrysofomus* in homil. (30. in Matth.) Civitatem autem suam hic Capharnaum dicit: alia enim eum susceperat nascentem, scilicet Bethlehem; alia eum nutritum, scilicet Nazareth; alia autem habuit continuentem, scilicet Capharnaum. *Augustinus* de Cons. Evang. (Lib. 2. cap. 25.) Vel aliter, Quod Mathæus hic scribit de civitate Domini, Marcus autem de Capharnaum, difficultus solveretur, si Mathæus Nazareth nominaret; nunc vero cum potuerit ipsa Galilæa dici civitas Christi, quia in Galilæa erat Nazareth, sicut universum regnum Romanum in tot civitatibus constitutum, dicitur modo Romana civitas; quis dubitaverit ut veniens in Galilæam Dominus recte diceretur venisse in civitatem suam, in quocumque esset oppido Galilæe: præsertim quia & ipsa Capharnaum extollebatur in Galilæa ut tamquam Metropolis haberetur; *Hieronymus*. Vel civitatem ejus non aliam intelligamus quam Nazareth: unde & Nazarenus appellatus est. *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 25.) Et secundum hoc, dicimus Mathæum prætermisisse quæ gesta sunt, postea quam Jesus venit in civitatem suam donec veniret Capharnaum, & hic adjunxisse de sanato paralytico, sicut in multis faciunt prætermittentes media, tamquam hoc continuo sequatur, quod sine ulla prætermisionis significatione subjungunt: & hoc modo hic subditur: *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto.* *Chrysofomus* in hom. (30. in Matth. sub initio.) Paralyticus autem hic alter est præter eum qui in Joanne ponitur. Ille quidem in natatoriis jacebat, hic autem in Capharnaum; ille famulis carebat, hic autem habebat eos qui sui curam habebant, qui & portantes eum attulerunt. *Hieronymus*. Obtulerunt autem ei jacentem in lecto, quia ipse ingredi non valebat. *Chrysofomus* in hom. (30. in Matth.) Non autem ubique ab ægris solum querit fidem, puta cum insaniant, vel aliter ab ægritudine in excessu fuerint mentis: unde subditur: *Videns autem Jesus fidem illorum.* *Hieronymus*. Non ejus qui offerebat

EX EDIT. P. NICOL. (a) Immo potius Petrus Ravennas Chrysofologus, qui Episcopus etiam ipse: nam hæc habentur apud illum serm. 60. quem Chrysofomus quidam adscribunt; & hinc forte factum est ut sub Joannis Episcopi nomine notaretur: ex Chrysofologo autem refert. Breviarium domini, 18. post Pentecost. vel juxta usum Prædicatorum dom. 16. post. oct. Trinitatis. (b) Jam Petrum Chrysofologum hic restitui oportere, ab initio notatum est.

tur, sed eorum qui offerebant. *Chrysofomus* in homil. (ut supra.) Quia igitur tantam ostendit fidem, monstrat & ipse suam virtutem, cum omni potestate solvens peccata: unde sequitur: *Dixit paralytico: Confide fili & remittuntur tibi peccata.* *Joannes* (b) Episcopus. Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem sic valet aliena, ut intus, & extra sanaret hominem? Audire veniam, & tacet paralyticus, nec ullam respondet gratiam, quia plus corporis quam animæ tendebat ad curam. Merito ergo Christus offerentium recipit fidem, non recordiam jacentis. *Chrysofomus* (hom. 30. in princ.) Vel erat magna fides etiam hujus infirmi: non enim permisit se submitti, ut alius Evangelista dicit, pet rectum, non credens. *Hieronymus* (Comment. in cap. 19. Matth.) O mira humilitas! Despectum, & debilem, totis membrorum compagibus dissolutum filium vocat, quem sacerdotes non dignabantur attingere, aut certe ideo filium, quia dimittuntur ei peccata sua: ubi datur nobis intelligentia, propter peccata pleraque venire corporum debilitates. Et idcirco forsitan prius dimittuntur peccata, ut causis debilitatis ablati, sanitas restituantur. *Chrysofomus* in hom. (ibid.) Scribit autem diffamare volentes, etiam nolentes fecerunt clarere quod factum est: eorum enim æmulatione ad signi ostensionem usus est Christus: hoc enim est superabundantia ejus sapientia: quod sua per inimicos manifestat: unde sequitur: *Eccæ quidam de scribis dixerunt intra se, Hic blasphemat.* *Hieronymus* (super illud, *Eccæ quidam de scribis.*) Legimus in Propheta (Esa. 43.) „Ego sum qui deleo omnes iniquitates tuas.“ Consequenter ergo scribit, quia hominem putabant, & verba Dei non intelligebant, arguunt eum vitio blasphemiae. Videns autem cogitationes eorum, ostendit se Deum, qui potest cordis occulta cognoscere, & quodammodo tacens loquitur: Eadem potentia qua cogitationes vestras intruor, possum, & hominibus delicta dimittere. Ex vobis intelligite quid paralyticus consequatur. Unde sequitur: *Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* *Chrysofomus* (hom. 30.) Non quidem eorum destraxit suspicionem, quia scilicet cogitabant eam prædicta dixisse ut Deum. Si enim non esset æqualis Deo Patri, oportebat eum dicere, Longe sum ab hac potestate, scilicet dimittendi peccata. Nunc autem

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nihil tale in Glossa quæ nunc extat; sed in Anselmo; est prioris hujus operis editiones ad marginem inepte notant *Glossa interlinealis*. (b) Immo, ut supra, Petrus Ravennas Chrysofologus in prædicto serm. 60. qui Chrysofomus perperam tribauit. (c) Rufinus hic Petrum Chrysofologum restituentem esse meminimus. (d) Et hic tandem, ut jam totis dictum, Petrus Ravennas Chrysofologus reponi debet.

contrarium firmavit sua voce, & miraculis ostensione: unde subdit: *Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere, Surge, & ambula?* Quanto quidem anima corpore potior est, tanto peccatum dimittere majus est quam corpus sanare. Sed quia illud quidem non manifestum, hoc autem manifestum; facit minus, quod est manifestius, ut demonstraret majus, & non manifestum. *Hieronymus* (super illud, *Quid est facilius dicere?*) Utrum enim sint paralytico peccata dimissa, solus noverat qui dimittebat; *surge autem, & ambula*, tam ille qui surgebat, quam hi qui surgentem videbant, poterant approbare, quamquam ejusdem virtutis sit & corporis, & animæ vitia dimittere. Inter dicere autem & facere, multa distantia est. Fit ergo carnale signum, ut probetur spiritale: unde sequitur: *Ut autem sciatis quoniam Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* *Chrysofomus* in hom. (30.) Supra quidem paralytico non dixit, Dimitto tibi peccata, sed *Dimittuntur tibi peccata*: quia vero scribæ resistebant, altiorum suam potentiam demonstrat, dicens: *Quia Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata.* Et ut ostendat se Patri æqualem, non dixit, quia Filius hominis indiget aliquo ad dimittendum peccata, sed quoniam habet. *Glossa* (a) (interlinearis ibidem.) Hæc autem verba, *Ut sciatis*, possunt esse Christi, vel Evangelistæ; quasi Evangelistæ diceret: Ipsi dubitabant eum peccata dimittere; sed ut sciatis quoniam Filius hominis habet potestatem, ait paralytico. Si autem Christus dicatur pronuntiasse hæc verba, sic intelligatur: Nos dubitatis me posse peccata dimittere; sed ut sciatis quoniam Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata: que quidem otatio imperfecta est; sed subditur actus loco consequentis: unde dicitur: *Ait paralytico: Surge, & tolle lectum tuum.* *Joannes* (b) Episcopus. Ut quod fuit testimonium infirmitatis sit probatio sanitatis. *Et vade in domum tuam*: ne christiana fide curatus, moriaris in perisda Judæorum. *Chrysofomus* in hom. (30. a med.) Hoc autem præcepit, ut non æstimeret phantasia esse quod factum est: unde ad veritatem facti ostendendam subditur: *Et surrexit, & abiit in domum suam.* Sed tamen astantes homines adhuc deorum trahuntur: unde sequitur: *Videntes autem turba, timerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit talem potestatem*

(1) *Al. desit enim.* (2) *Al. enim.* (3) *Al. petitores dicit adhibere.* (4) *Al. quod intus.* EX EDIT. P. NICOL. (a) Nihil tale in Glossa quæ nunc extat; sed in Anselmo; est prioris hujus operis editiones ad marginem inepte notant *Glossa interlinealis*. (b) Immo, ut supra, Petrus Ravennas Chrysofologus in prædicto serm. 60. qui Chrysofomus perperam tribauit. (c) Rufinus hic Petrum Chrysofologum restituentem esse meminimus. (d) Et hic tandem, ut jam totis dictum, Petrus Ravennas Chrysofologus reponi debet.

hominibus. Si (1) enim bene cogitassent apud se, agnovissent quia Filius Dei erat. Interim (2) autem non parum erat æstimare omnibus hominibus majorem, & a Deo venire. *Hilarius* (can. 8. in Matth. circa med.) Mystice autem a Juda repudiatus in civitatem suam revertitur. Dei civitas fidelium plebs est: in hanc ergo introivit per navim, id est Ecclesiam; vinctus *Joannes* (c) Episcopus. Non autem Christus indiget navi, sed navis Christo: quia sine celestis gubernatione navis Ecclesiæ per mundanum pelagus ad celestem portum non valet pervenire. *Hilarius* (ibid. a med.) In paralytico autem Gentium universitas offertur mendenda. Hic itaque Angelis ministrandus offertur; hic filius nuncupatur, quia Dei opus est; huic remittuntur animæ peccata, quæ lex laxare non poterat: fides enim sola justificat. Deinde virtutem resurrectionis ostendit, cum sublacione lectuli, infirmitatem corporis docuit desaturam. *Hieronymus* (in Com. in 9. cap. Matth. sub initio.) Juxta tropologiam autem, interdum anima jacens in corpore suo virtutibus dissoluta, à perfecto doctore: Domino offertur curanda: unusquisque enim æger petendæ salutis (3) precatore debet adhibere, per quos actuum nostrorum clauda vestigia, verbi celestis remedio reformentur. Sunt igitur monitores mentis qui animam auditoris ad superiora erigunt, quamvis exterioris corporis debilitate torpentem. *Joannes*. (d) Episcopus. Dominus autem in hoc sæculo infipientium voluntates non querit; sed respicit ad alterius fidem; nec medicus languentium respicit voluntatem, cum contraria requirit infirmus. *Rabbanus*. Surgere autem est animam à carnalibus desideriis abstrahere; lectum tollere est carnem à terrenis desideriis ad voluptatem spiritus attollere; domum ire est ad paradysum redire, vel ad internam sui custodiam, ne iterum peccet. *Gregorius* 23. Moral. (cap. 23. super illud Job 33.) „Increpat pro dolore in lectulo: cap. 15. in novis exemp.“ Vel per lectum voluptas corporis designatur. Jubetur itaque ut hoc sanus portet ubi infirmus jacebat: quia omnis qui adhuc vitis delectatur, infirmus jacet in voluptatibus carnis; sed sanatus hoc portat, quia ejusdem carnis contumelias postmodum tolerat. (4) in cuius intus prius desideria requiescebat. *Hilarius* (can. 8. in Matth. circa

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nihil tale in Glossa quæ nunc extat; sed in Anselmo; est prioris hujus operis editiones ad marginem inepte notant *Glossa interlinealis*. (b) Immo, ut supra, Petrus Ravennas Chrysofologus in prædicto serm. 60. qui Chrysofomus perperam tribauit. (c) Rufinus hic Petrum Chrysofologum restituentem esse meminimus. (d) Et hic tandem, ut jam totis dictum, Petrus Ravennas Chrysofologus reponi debet.

finem.) *Videntes autem turbæ timuerunt.* Magni enim timoris res est, non dimissis à Christo peccatis, in mortem resolvi: quia nullus est in domum æternam reditus, si cui indulta non fuerit venia delictorum. Cessante autem timore, honor (1) Deo redditur, quod potestas hominibus (2) hac via data sit per verbum ejus, & peccatorum remissionis, & corporum resurrectionis; & reversionis in cælum.

(b) *Chrysofomus* in hom. (31. in princ.) Cum Christus fecisset miraculum, non permansit in eodem loco, ne Judæorum zelum accenderet amplioem. Hoc & nos faciamus, non obstinate obstitentes eis qui insidiantur: (3) unde dicitur: *Et cum transiret inde Jesus*, scilicet à loco ubi miraculum fecerat, *vidit hominem sedentem in telonio*, *Matthæum nomine.* *Hieronymus* (super illud: *Vidit hominem sedentem.*) Ceteri Evangelistæ propter verecundiam, & honorem Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerunt Levi: duplici enim vocabulo fuit. Ipse autem Matthæus (secundum illud Salomonis Prov. 18. „ nisi accusator est „ sui“) Matthæum se, & publicanum nominat, ut ostendat legentibus nullum debere salutem desperare, (4) si ad meliora conversus sit, cum ipse de publicano in Apostolum sit repente mutatus. *Glossa* (ord. super illud, *In telonio.*) Dicit autem, *Sedentem in telonio*, id est in domo ubi vectigalia congregantur. Erat enim telonearius dictus, à telon Græcæ, quod est vectigal. *Chrysofomus* in hom. (31. in Matth.) Per hoc ergo monstrat vocantis virtutem: quoniam non desistenter à periculo officio ex mediis ipsum evulsit malis, sicut & Paulum adhuc infanientem: & ideo sequitur: *Et ait illi, Sequere me.* Sicut vidisti vocantis virtutem, ita addece vocati obedientiam: neque enim resistit, neque domum abire rogavit, & suis hoc communicare. *Remigius.* Humana etiam pericula, quæ ei à principibus accidere poterant, parvipendit, dum officii sui rationes imperfectas reliquit: unde sequitur: *Et surgens secutus est eum.* Et quia terræ lucra deseruit: ideo iure factus est dominorum talentorum dispensator. *Hieronymus* (super illud, *Vidit hominem sedentem.*) Arguit autem in hoc loco Porphyrius, & Julianus Augustus vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum qui statim secuti sunt Salvatorem: quasi irrationabiliter quemlibet vocantem

(1) *Al. omittitur Deo.* (2) *Al. hæc via, item hæc vita.* (3) *Al. cum.* (4) *Al. sed ad meliorem conversus, cum ipse, &c.* (5) *Al. cum tanta signa præserint.* (6) *Al. quæ etiam in facie resplendebat, ex primo ad se videntes trahere poterat in aspectu.* (7) *Al. ex.* (8) *Al. deest omnes.*

Ex edit. P. NICOL. (a) Nihil tale in Glossa quæ nunc extat; sed in Anselmo, in quo tamen alia paulo ante notata sub eodem nomine Glossa non occurrunt; ut nec alibi.

dani cum Jesu, & discipulis ejus. *Glossa* (a) (ordinaria.) Publicani enim vocantur qui publicis negotiis implicantur, quæ sine peccato aut vix, aut nunquam possunt tractari. Et pulchrum fuit præfagium, quia qui Apostolus, & doctor Gentium erat futurus, in prima sua conversione peccantium gregem post se trahit ad salutem, ut jam perficeret exemplo quod perficere debebat & verbo. *Hieronymus.* (b) Tertullianus hos dicit fuisse ethnicos, dicente Scripturæ: „ Non erit vectigal pendens ex Israel; “ quasi Matthæus non fuerit Judæus. Dominus autem non convivatur cum ethnicis, cum id maxime caveret, ne legem solvere videretur, qui & discipulis præcepit (infra 10.) *In viam Gentium ne abieritis.* Viderant autem publicanum à peccatis ad meliora conversum, locum invenisse penitentiam, & ob id etiam ipsi non desperant salutem. *Chrysofomus* (c) in hom. (31. in Matth.) Unde accesserunt ad Redemptorem nostrum, & non solum ad colloquendum, sed etiam ad convescendum recepti sunt: (1) non enim solum disputans, aut curans, aut arguens inimicos, sed etiam convescens emendabat multoties eos qui male dispositi erant, per hoc docens nos quoniam omne tempus, & omne opus potest nobis tribuere utilitatem. Hoc autem videntes pharisæi indignati sunt, de quibus subditur: *Et videntes pharisæi dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vesper?* Notandum, quod cum discipuli visi sunt peccare, Christum alloquuntur dicentes (infra 12.) *Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere in sabbato*: hic apud discipulos Christo detrahitur: quæ (2) omnia malignantium erant, & volentium separare à doctore corda discipulorum. *Rabbanus* (super illud, *Cum publicanis manducat.*) Duplici autem errore tenebantur: quia, & se justos arbitrabantur, qui superbiæ fastu à justitia longe discesserant, & eos criminabantur injustos qui respiciendo à peccatis, justitiæ appropinquant. *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 27.) Lucas autem aliquanto differenteris hoc videtur commemorasse, secundum quem pharisæi dicunt discipulis (Luc. 5.) „ Quare cum publicanis, & peccatoribus manducatis, & bibitis? Christo, & discipulis ejus hoc obiectum insinuans. Sed cum discipulis dicebatur, magis magistro (3) obiciebatur, quem

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) *Al.* non solum deputans, aut arguens inimicos. (2) *Al.* omnium. (3) *Al.* obicitur. Ex edit. P. NICOL. (a) Neque ista in Glossa existant, sed in Anselmo; quamvis partem ex Glossa sumptam editionis aliæ ad marginem per fictionem notaverint. Habet autem Anselmus paulo infra: *Ut iam præferat exemplo qui proficere debebat & verbo.* (b) Quod sequitur Hieronymi nomine ut ex Tertulliano, sic notat Glossa, licet hætenus apud neutrum occurrat; etsi posterior appendix ex Hieronymo in Matthæum sumitur (c) Prima pars hujus quod sequitur ex Chrysofomo, expressius apud Gregorium habetur hom. 34. in Evang. non tamen super istud.

festando imitabantur. Una est ergo sententia, & tanto melius insinuata quanto quibusdam verbis, manente veritate, mutata. *Hieronymus* (super illud, *Et factum est discumbente.*) Neque vero in pristinis permanentes veniunt ad Jesum, ut pharisæi, & scribæ murmurant, sed penitentiam agentes; quod & præfens sermo Domini significat: unde sequitur: *At Jesus audiens ait: Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.* *Rabbanus* (super illud, *Non est opus valentibus.*) Seipsum medicum dicit, qui miro medicandi genere propter iniquitates nostras vulneratus est, ut vulnus peccatorum nostrorum sanaret. Sanos quidem eos appellat, qui suam volentes statuere justitiam, veræ Dei justitiæ subiecti non sunt. Male habentes eos vocat qui suæ fragilitatis conscientia devicti, nec per legem videntes se justificari, penitendo se submittunt gratiæ Dei. *Chrysofomus* in hom. (31. ante med.) Postquam à communibus opinionibus eos allocutus est, alloquitur eos ex Scripturis, cum dicit: *Euntes autem discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium.* *Hieronymus.* De Propheta, scilicet Osee, sumens testimonium sugillat scribas, & pharisæos, qui se justos æstimantes, peccatorum, & publicanorum consortia declinabant. *Chrysofomus* in hom. (31. ante medium.) Ac si dicat: Cur accusatis me, quoniam peccatores corrigo? Ergo & Deum Patrem ex hoc inculpate. Sicut enim ille vult peccatorum emendationem, ita & ego. Et sic ostendit non solum non esse prohibendum quod inculpabatur, sed & secundum legem majus esse sacrificio: non enim dixit, *Misericordiam volo, & sacrificium*, sed hoc injunxit, illud autem ejecit. *Glossa.* Non tamen despicit Deus sacrificium, sed sacrificium sine misericordia. Faciebant autem pharisæi sæpe sacrificia in templo, ut justii apparerent coram populo; sed non exercebant misericordiarum opera, in quibus probatur vera justitia. *Rabbanus* (super illud, *Discite quid est, Misericordiam volo.*) Admonet itaque eos, ut per opera misericordiarum sibi metipsis superne misericordiarum præmia requirant, & non, contemptis pauperum necessitatibus, per oblationem sacrificiorum se Deo placere confidant; unde dicit, *Etes*, scilicet à temeritate sustulæ vituperationis ad diligentem Scripturæ Sanctæ meditationem, quæ misericordiam maxime

R 2

com-

commendat: unde & suum de misericordia exemplum eis proponit, dicens: *Non enim vni vocare iustos, sed peccatores. Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 27.) Lucas addidit (cap. 5.) „ In penitentiam; “ quod ad explanandam sententiam valet; ne quisquam peccatores ob hoc ipsum quod peccatores sunt, diligat (1) arbitretur à Christo: cum & illa similitudo de ægriore bene intinet quid velit Deus vocando peccatores, tamquam medicus ægros, utique ut ab iniquitate, tamquam ab ægitudine, salvi fiant; quod fit per penitentiam. *Hilarius* (can. 9. in Matth.) Omnibus autem Christus venerat: quomodo ergo non se iustus venisse dicit? Erant ergo quibus necesse non erat ut veniret? Sed nemo iustus ex lege est. Ostendit ergo inane iustitiam iactantiam, quia sacrificiis infirmis ad salutem, misericordia erat universis in lege potius necessaria. *Chr. Iulianus* in hom. (31.) Unde ironice videtur ad eos loquens, sicut cum dicitur (Genes. 3.) „ Ecce jam Adam factus est quasi unus ex nobis. “ Quoniam enim nullus iustus erat in terra Paulus significat dicens Rom. 3. „ Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei. “ In hoc autem & illos mitigavit qui vocati erant; quasi dicit: Tantum renuo abominari peccatores, quin propter eos solos adveni. *Rabbanus* (super illud, *Non veni vocare iustos*). Vel quia (2) qui iusti erant, sicut Nathanael, & Joannes Baptista, non erant ad penitentiam invitandi. Vel non veni vocare iustos, falsos, qui de iustitia sua gloriantur, ut pharisæos, sed illos qui se peccatores cognoscunt. Per Matthæi autem, & publicanorum vocationem fides Gentium exprimitur, qui prius mundi lucris inhæbant, & nunc spiritualiter cum Domino rescindunt; per superbiam pharisæorum, invidia Judæorum de salute Gentium. Vel Matthæus significat hominem terrenis lucris inhiantem, quem videt Jesus, dum oculo misericordie respicit. Matthæus enim interpretatur donatus, (3) Levi assumptus: penitentiam autem à massa perditorum assumitur, & gratia Dei Ecclesie donatur. *Er ait illi Jesus, Sequere me*, vel per prædicationem, vel per Scripturæ admonitionem, vel per internam inspirationem.

(c) *Glossa*. (a) Cum de convivio peccatorum, & de participatione respondisset eis, de comestione eum aggrediuntur: unde dicitur: *Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannes dicentes: Quare nos, & pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunt? Hieronymus* (hoc

(1) *Al.* arbitretur. (2) *Al.* omittitur qui. (3) *Al.* Levita. (4) *Al.* Ex quo tu. (5) *Al.* attendunt. (6) *Al.* discidentes. (7) *Al.* meritum non auget. *P. Nicolai legit* meritum eo auget. (8) *Al.* mendicantibus. (9) *Al.* deest autem.

Ex edit. P. Nicol. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo.

loco.) Superba interrogatio, & jejunii reprehendenda iactantia! Nec poterant discipuli Joannis non esse sub virio, qui jungebantur pharisæis, quos à Joanne noverant condemnatos; & calumniabantur eum quem sciebant magistri vocibus prædicatum. *Chr. Iulianus* in hom. (31. à med.) Quod autem dicitur tale est: Esto tu ut medicus hæc facis; sed cur discipuli tui dimittentes jejunium, talibus mensis (5) accedunt? Deinde inculpationem ex comparatione augere volentes, primo seipfos ponunt, & deinde pharisæos. Jejunabant illi quidem à lege (6) discentes, sicut & pharisæus dixit Luc. 8. „ Jejunio bis in sabbato; “ ipsi autem à Joanne. *Rabbanus* (super illud, *Quare nos, & discipuli*). Joannes enim vinum, & ficeram non bibit: quod abstinentie (7) meritum in eo auget, cui nulla est potentia naturæ. Dominus autem qui peccata potest condonare, cur à peccatoribus (8) manducantibus declinaret, quos abstinentibus poterat facere justiores? Jejunat autem Christus, ne præceptum declinet; manducat autem cum peccatoribus, ut gratiam, & potestatem intelligas. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 27.) Sed cum Matthæus tantum discipulos Joannis hoc dixisse perhibeat, verba quæ apud Marcum leguntur, magis indicant alios hoc dixisse de aliis, idest convivas de discipulis Joannis, & pharisæis: quod Lucas evidenter expressit, qui alios de aliis dixisse narravit. Unde ergo Matthæus dicit: *Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, nisi quia & ipsi aderant, & omnes certam, ut quisque poterat, hoc objecerunt? Chr. Iulianus* in hom. (31. parum ante med.) Vel Lucas dicit, quod pharisæi hoc dixerunt, hic (9) autem dicit, quod discipuli Joannis: quia pharisæi illos secum acceperunt ad dicendum, quod postea in herodianis fecerunt. Sed considerandum, quod quando pro extraneis, sicut pro publicanis, sermo erat, ut eorum turbatam mitiget animam; vehementius exprobrantes inculpavit; ubi autem discipulos convitiabantur, cum mansuetudine respondet: unde sequitur: *Er ait illis Jesus: Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Primo* quidem seipsum medicum vocaverat, hic autem sponsum, in memoriam reducens verba Joannis quæ dixit (cap. 3.) „ Qui habet sponsum sponsus est. “ *Hieronymus* super illud, *Numquid possunt filii sponsi*. Sponsus Christus est, sponsa autem Ecclesia. De hoc spirituali connubio

Apostolus

Apostoli sunt creati, qui lugere non possunt (1) quamdiu sponsum in thalamo vident, & sciunt sponsum esse cum sponsa. Quando vero (2) transierint nuptiæ, & passionis, ac resurrectionis tempus (3) advenit, tunc sponsi filii jejunabunt. Et hoc est quod subditur: *Veniunt autem dies quando auferetur ab eis sponsus; & tunc jejunabunt. Chr. Iulianus* in hom. (31. in Matth.) Quod autem dicit, tale est: Gaudium est præsens tempus, & lætitiæ; non ergo introducenda sunt tristitia: etenim jejunium triste est non naturaliter, sed (4) istis qui imbecillius adhuc dispositi sunt: his enim qui sapientiam contemplari desiderant, delectabile est: unde secundum opinionem illorum hoc dixit. Per hoc autem monstrat quod non gaudium erat quod fiebat, sed dispensationis cujusdam. *Hieronymus* (ibidem.) Nonnulli autem putant idcirco dies quadraginta passionis jejunia debere committi, licet statim dies pentecostes, & Spiritus Sanctus veniens inducat nobis festivitatem. Ex hujusmodi occasione testimonium Montanus, Prisca, & Maximilla, etiam post pentecostem faciunt quadragesimam, quia abito sponso, filii sponsi debeant jejunare. Ecclesiæ autem consuetudo ad passionem Domini, & resurrectionem per humilitatem carnis venit, ut (5) spirituali fagine jejunio corporis præparemur. *Chr. Iulianus* in hom. (ibidem.) Rursus autem à communibus (6) exemplis confirmat hunc sermonem, cum subdit: *Nemo autem mittit commissuram panni rudis in vestimentum veteris: tollit enim plenitudinem ejus à vestimento, & pejor scissura fit; quasi diceret: Nondum effecti sunt fortes mei discipuli, sed adhuc multa indigent condescensione; nondum sunt per Spiritum renovati. Sic autem dispositis non oportet gravedinem imponere præceptorum. Hoc autem dixit, regulam dans suis discipulis, ut discipulos ex universo orbe terrarum eum mansuetudine suscipiant. *Remigius*. Vestimentum veteris discipulos vult intelligi, quia nondum erant per omnia innovati. Pannum rudem, idest novum, appellat novam gratiam, idest evangelicam doctrinam, cujus quædam particula est jejunium; & ideo non conveniebat ut sæviora præcepta jejunii illis committerentur, ne forte austeritate jejunii frangerentur, & fidem perderent quam habebant: ideo*

subdit: *Tollit enim plenitudinem ejus à vestimento, & pejor scissura fit. Glossa*. (a) Quasi dicit: Ideo rudis pannus, idest novus, non debet poni in vestimento veteri, quia tollit sæpe à vestimento plenitudinem ejus, idest perfectionem; & tunc fit pejor scissura. Grave enim onus rudi inunctum, illud boni quod prius inerat, sæpe destruit. *Remigius*. Duabus autem similitudinibus positus, scilicet nuptiarum, & de panno rudi, & de vestimento veteri, nunc tertiam addit similitudinem de utribus, & de vino: *Neque mistum vinum novum in utres veteres. Utres veteres appellat suos discipulos, qui nondum perfecte erant innovati. Vinum novum appellat plenitudinem Spiritus Sancti, & profunda cælestium mysteriorum, quæ tunc discipuli ferre non poterant; sed post resurrectionem utres novi facti fuerant, & vinum novum receperant quando Spiritus Sanctus replevit corda eorum. Unde quidam dixerunt Act. 2. „ Omnes isti mæto pleni sunt. “ *Chr. Iulianus* in hom. 31. à med. Hinc & nos causam docuit humilium veterum, quæ continuo ad eos dicebat propter imbecillitatem ipsorum. *Hieronymus* (super illud, *Nemo autem immittit*). Vel aliter. Per vestimentum veteris, & utres veteres debemus intelligere scribas, & pharisæos; (7) particula vestimenti novi, & vinum novum præcepta evangelica sentienda; quæ non possunt sustinere Judæi, ne major scissura fiat. Tale quid & Galatæ facere cupiebant, ut cum Evangelio legis præcepta miscerent, & in utribus veteribus mitterent vinum novum. Sermo igitur evangelicus Apostolis potius quam scribis, & pharisæis est infundendus, qui majorum traditionibus depravati, sinceritatem præceptorum Christi non poterant custodire. *Glossa* (b) Per hoc ergo significat quod Apostoli non erant in veteribus observantibus detinendi, quos oportebat gratiæ novitate perfundi. *Augustinus* in serm. de Quadragesima. (c) Vel aliter. Omnis qui recte jejunit, aut animam suam in gemitu orationis & castigatione corporis humiliter, aut (8) illecebras carnales spiritualis sapientiæ delectatione suspendit. De utroque autem jejunii genere Dominus hic respondet: nam de primo, quod habet animæ humiliationem, dicit: *Non possunt filii sponsi lugere*: de illo quod habet epu-*

(1) *Al.* tamdiu. (2) *Al.* transierunt. (3) *Al.* advenit. (4) *Al.* illis. (5) *Al.* spiritualis fagina. (6) *Al.* deest exemplis. (7) *Al.* plagula. (8) *Al.* illecebra carnalis. Ex edit. P. Nicol. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo. (b) Non occurrat in Glossa quæ nunc extat, nec in Anselmo, nec alibi etiam sub his verbis. (c) Quod subjungitur, sumptum est ex Sermon. 74. de diversis, qui notatur sabbato post dom. 2. quadrag. assurturque, sed extra locum, sermone 1. dom. in oct. pasche ad Competentes, vel serm. 26. in Appendice de diversis.

lum mentis, consequenter locutus est dicens: *Nemo mittit commissuram panni rudis.* Deinde quia sponfus ablati utique nobis est, legendum est. Et recte lugemus, si flagramus desiderio ejus. Beati quibus licuit eum ante passionem tunc habere presentem, interrogare sicut vellent, audire sicut deberent. Illos dies concupierunt videre patres ante adventum ejus, neque viderunt, quia in alia dispensatione sunt ordinati, per quos venturus annuntiaretur, non a quibus veniens audiretur; in nobis autem illud impletum est quod ipse dicit Luc. 17. „ Venient dies quando desiderabitis videre unum de diebus istis, & non poteritis. „ Quis ergo hic non lugebit? Quis non dicat: „ Factæ sunt mihi lacrymæ mez panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus? „ Psalm. 41. Merito ergo Apostolus cupiebat dissolvi, & esse cum Christo. *Augustinus* de Con. Evangel. (Lib. 2. cap. 27.) Quod ergo dixit Matthæus, *Iugeri*, ubi Marcus, & Lucas dicunt jejunare, (1) significat de tali jejunio Dominum locutum quod pertinet ad humilitatem tribulationis, ut illud alterum quod pertinet ad gaudium mentis in spiritalia suspensæ, & ob hoc alienatæ a corporalibus cibis, posterioribus similitudinibus significasse intelligatur; (2) ostendens quod circa corpus occupatis, & ob hoc veterem sensum habentibus, hoc genus jejunii non congruat. *Hilarius* (can. 9. in Matth. parum ante med.) Mytice vero, quod presente sponso jejunandi necessitatem discipulis non esse respondet, presentie suæ gaudium, & sacramentum sancti cibi edocet, quo nemo se presentem (id est, in conspectu mentis Christum continens) indigebit; ablato autem se, jejunatos esse dicit, quia omnes non credentes resurrexissent Christum, habituri non essent cibum vitæ. In fide enim resurrectionis sacramentum panis cælestis accipitur. *Hieronymus* (super illud, Numquid possunt filii sponsi jejunare?) Vel cum propter peccata a nobis recesserit, tunc indicendum est jejunium, tunc luctus est recipiendum. *Hilarius* (can. 9. in Matth. cir. med.) Ponit etiam exempla, quibus ostendit, (3) infirmas vetustate peccatorum, & animas, & corpora novæ gratiæ sacramenta non capere. *Rabbanus.* Cum autem datæ sint diversæ similitudines ad idem, differunt tamen: vestis enim qua foris tegimur, opera bona significat, que foris agimus; vinum quo intus reficimur, fervor est fidei, & caritatis, quo intus reformamur.

(1) Al. significavit. (2) Al. id ostendens. (3) Al. infirmitates. (4) Al. omittitur enim. (5) Al. Dominum facere. (6) Al. deest non.

(d) *Chrysostronus* in hom. (32. in Matth. in princ.) Post sermones suos adjunxit, in quo amplius pharisæi obstruuntur, eo quod qui advenit ad miraculum potendum, archisynagogus erat, & luctus magnus, quia puella unigenita erat, & duodecim annorum, quando incipit esse floz ætatis; & ideo dicitur, *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit.* *Augustinus* de Con. Evangel. (Lib. 2. cap. 28. sub initio.) Dicunt autem hoc & Marcus, & Lucas, sed ab isto ordine jam recedunt: eo enim loco hoc inserunt ubi post expulsa dæmonia, & in porcos missa, transfretando redit à regione Gerasenorum. Et per hoc quod Marcus dicit, intelligendum est hoc factum esse postquam venit rursus Jesus trans fretum; sed quantum post, non apparet. Nisi autem fuisset aliquod intervallum, non esset quando fieret quod narrat Matthæus in convivio domus suæ. Post hoc factum continuo sequitur de archisynagogi filia. Si enim loquente eo de panno novo, & vino novo, accessit princeps, nihil aliud factorum, dictorumque ejus interpositum est; in narratione autem Marci par et locus ubi alia interponi poterant. Similiter autem & Lucas non remittit Matthæo: quod enim adjunxit cap. 8. „ Et ecce vir cui nomen erat „ Jairus, „ non continuo accipiendum est factum, sed post illud de convivio publicanorum, ut narrat Matthæus dicens: *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus, scilicet Jairus archisynagogus, accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est.* Considerandum est autem, ne repugnare videatur, quod alii duo Evangelistæ morti jam proximam non tamen mortuam eam dicant, usque adeo ut dicant venisse postea qui mortuam enuntiarent, & ob hoc non debere vexari magistrum; intelligendum est (4) enim brevitate causa Matthæo hoc potius dicere voluisse, rogatum (5) Dominum esse ut faceret, quod ipsam fecisse manifestum est, ut scilicet mortuam suscitaret. Attendit enim non verba parva de filia sua, sed, quod potissimum est, voluntatem. Ita enim desperaverat ut potius eam vellet reviviscere, non credens vivam posse inveniri, quam morientem reliquerat. Duo itaque posuerunt quid dixerit Jairus: Matthæus autem quid voluerit, atque cogitaverit. Sane si quisquam illorum duorum patrem ipsum commemorasset, dixisset, ut (6) non vexaretur Jesus, quod puella mortua fuisset, repugnarent ejus cogitationi verba quæ posuit Matthæus. Nunc vero non legitur, quod suis nuntiantibus ille

conferret. Hinc autem tem. pernecessariam discimus, nihil in cujusque verbis debere inspicere nisi voluntatem, cui debent verba scribere; nec mentiri quemquam, si aliis verbis dixerit quod ille voluerit cuius verba non dicit. *Chrysostronus* in hom. (32. in Matth. circa princ.) Vel hoc quod princeps dixit de morte puellæ est augere calamitatem. Etenim consuetudo est rogantibus extollere sermone propria mala, & amplius aliquid eo quod est dicere, ut magis attrahant eos quibus supplicant: unde subjungit: *Sed veni, impone manum super eam, & vivet.* Vide autem ejus (1) crassitiam. Duo enim expetit à Christo, & accedere ipsum, & manum imponere. Hoc etiam Syrus ille Naaman à Propheta expetebat. Etenim & visu indigent, & sensibilibus rebus qui (2) crassius dispositi erant. *Remigius.* Miranda est autem pariter, atque imitanda Domini humilitas, & mansuetudo: nam mox ut rogatus est, rogantem cepit sequi: unde subdit: *Et surgens Jesus sequebatur eam.* Hic subditos, & prælatos pariter instruxit; subditis exemplum obedientiæ reliquit, prælati vero instantiam, & sollicitudinem docendi demonstravit, ut quotiescumque audierint aliquem mortuum in anima, statim adesse studeant. *Et cum eo ibant discipuli ejus.* *Chrysostronus* in hom. (32. in Matth. par. à princ.) Et Marcus quidem, & Lucas dicunt, quoniam tres accepit discipulos, scilicet Petrum, Jacobum, & Joannem; Matthæum autem non assumpsit, ampliore ei concupiscentiam immittens, & quia imperfectus adhuc dispositus erat: propter hoc enim illos honorat, ut alii similes illis efficiantur. Sufficiebat enim interim Matthæo videre ea quæ facta sunt circa sanguinis fluxum patientem, de qua subditur: *Ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.* *Hieronymus* (super illud: *Ecce mulier.*) Hæc autem mulier sanguine suens, non in domo, non in urbe accedit ad Dominum, quia juxta legem urbibus excludebatur; sed in itinere ambulante Domino, ut dum pergit ad aliam, alia curaretur. *Chrysostronus* (in hom. 32. in Matth.) Ideo autem non libera propalatione ad Christum venit, quia verecundabatur propter passionem, immundam se existimans: etenim apud legem multa immunditia æstimabatur esse hæc passio: propter hoc latet, & occultatur. *Remigius.* In quo laudanda est ejus humilitas, quia non ad faciem accessit, sed retro, & indignam se judicavit pedes Domini tangere, & non plenitudinem vestimenti tetigit, sed tantum

tummodo fimbriam: habuit enim Dominus fimbriam juxta legis præceptum. Pharisæi etiam fimbrias habebant, quas magnificabant, in quibus etiam spinas appendebant. Sed fimbriæ Domini non habebant vulnere, sed potius sanare, & ideo sequitur: *Dicebat enim intra se: Quia fuit tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero?* In quo fides ejus admiranda est, quia desperans de salute medicorum, in quos sua erogaverat, ut Marcus dicit, intellexit celestem adesse medicum, & in eo totam suam intentionem collocavit; & ideo salvari promeruit: unde sequitur: *At Jesus conversus, & videns eam dixit: Confide filia: fides tua te salvam fecit.* *Rabbanus* (super illud, *Confide filia.*) Quid est quod eam confidere jussit; quæ si fidem non haberet, salutem ab eo non quæteret? Sed robor, & perseverantiam fidei ab ea expostulavit, ut ad certam, & veram perveniat salutem. *Chrysostronus* in hom. (32.) Vel quia formidolosa erat hæc mulier, propter hoc ait, *Confide.* Et filiam eam vocat, quia fides eam filiam fecerat. *Hieronymus.* Non autem dixit, Quia fides tua te salvam factura est; sed *Salvam fecit:* in eo enim quod crediturum est, jam salva facta est. *Chrysostronus* in hom. (32. in Matth.) Nondum tamen perfectam de Christo opinionem habebat, quia nequaquam æstimasset eam latere; sed Christus non dimisit eam latere, non quasi gloriam concupiscens, sed multorum causa. Primo enim solvit timorem mulieris, ne à conscientia pungatur, quasi donum futurum; secundo eam emendat de hoc quod æstimat se latere; tertio omnibus fidem ejus ostendit, ut eam emendentur; quarto dedit in hoc signum, quod monstravit se nosse omnia, non minus eo quod fontem sanguinis fecerit, de quo sequitur: *Et salva facta est mulier ex illa hora.* *Glossa.* (a) Intelligendum est ex illa hora: ex qua tetigit fimbriam, non ex illa hora: ex qua Jesus conversus est ad eam: jam enim salva facta erat; ut alii Evangelistæ manifeste ostendunt, & ex verbis Domini perpendi potest. *Hilarius* (can. 9. in Matth.) In quo magna virtutis dominicæ admiratio est, cum potestas intra corpus manens, rebus caducis (3) efficiens adderet sanitatis, & usque in vestium fimbrias operatio divina procederet: non enim comprehensibilis erat Deus, ut corpore clauderetur. Assumptio namque corporis non naturam virtutis includit, sed ad redemptionem nostram fragilitatem corporis virtus assumpsit. *Miltice* autem princeps hic (4) lex esse intelligitur, quæ Dominum orat ut plebi quam ipsa Christo, ejus adventus expectatione predicata, nutriret:

S. Thom. Oper. Tom. VII.

(1) Al. grossitiam. (2) Al. grossius. (3) Al. efficaciam. (4) Al. deest lex. Ex edit. P. NICOL. (a) Non est in Glossa, ut nunc extat, sed in Anselmo.

vitam mortuæ reddat. *Rabbanus* (super illud, *Ecce princeps unius accessit*). Vel archisynagogus signat Moysen, & dicitur Jairus, idest illuminans, si ve illuminaturus: quia accepit verba vitæ dare nobis, & per hoc cupit illuminari ipse à Spiritu Sancto illuminatus. Filia igitur archisynagogi, idest ipsa synagoga, velut duodecimo ætatis anno, idest tempore pubertatis, postquam spiritalem sobolem Deo generare debebat, errorum languore cõternata est. Ad hanc (1) ergo principis filiam dum propter Dei Verbum, ut salvos faceret filios Israël, sancta Ecclesia ex Gentibus congregata, quæ interiorum lapsu criminum deperibat; paratam aliis fide percepit sanitatem. Notandum autem, (2) quod dum archisynagogi filia sit duodenis, & mulier hæc ab annis duodecim sanguine fluxit, eo tempore quo hæc nata est, illa cepit infirmari: una enim pene sæculi ætate & synagoga ex Patriarchis cepit nasci, & Gentium exterarum natio idolatriæ sanie fedari. Nam fluxus sanguinis bifariam potest intelligi, hoc est super idolatriæ pollutione, & super his quæ carnis, & sanguinis delectatione geruntur: & sic quamdiu synagoga viguit, laboravit Ecclesia; sed illorum delicto salus Gentibus facta est. Accedit autem, & tangit Dominum Ecclesia, cum ei per fidem appropinquat. *Glossa*. (a) Credidit, dixit, tetigit, quia his tribus, fide, verbo, & opere omnis salus acquiritur. *Rabbanus* (super illud, *Et ecce mulier*). Accedit autem retro, si ve juxta (3) hoc quod ipse ait Joan. 12. „ Si quis mihi „ ministrat, me sequatur: „ si ve quia præsentem Dominum in carne non videns, peractis iam sacramentis incarnationis illius, ad agnitionis ejus gratiam pervenit. Unde, & fimbriam vestimenti tangit, quia cum Christum in carne gentilis populus non vidisset, verba incarnationis recepit. Vestimentum enim Christi dicitur mysterium incarnationis ejus, quo divinitas induta est; fimbria vestimenti, verba de incarnatione ejus dependentia. Non autem vestem, sed fimbriam tangit: quia non vidit in carne Dominum, sed suscept per Apostolos incarnationis verbum. Beatus qui exremam partem Verbi fide tangit. Non autem in arde, sed in itinere pergenat. Domino sanatur; unde Apostoli (Act. 13.). „ Quia indignos vos judicatis „ vita æterna, ecce convertimur ad Gentes. „ Gentilitas autem ex hora dominici adventus cepit habere salutem.

(c) *Glossa*. (b) Post mulieris hæmorrhoidæ

(1) *Al. omittitur* ergo. (2) *Al. n. n. est* quod.

(5) *Al. deridebatur*.

Ex edit. P. Nicol. (a) Nec in Glossa, nec in Anselmo sed in Beda occurrit, ut & subinde in Rabano verbis paululum immutatis. (b) Nec in Glossa, nec in Anselmo, nec alibi occurrit.

curacionem, sequitur de mortuæ suscitacione cum dicitur: *Et cum venisset Jesus in decimum principis, &c.* *Chrysostramus* in hom. (32. in Matth.) Considerandum est autem, quod propter hoc tardius vadit, & plura loquitur mulieri curata, ut permittat mori puellam, & sic manifesta fiat resurrectionis demonstratio. Et similiter in Lazaro usque ad tertiam diem manit. Sequitur *Et cum vidisset tibicines, & turbam tumultuantem*: quod est mortis demonstratio. *Ambrosius* super Lucam (Lib. 9. in titulo de filia principis.) More enim veteri tibicines ad excitandos lætus in mortuis ferebantur adhiberi. *Chrysostramus* (ut supra.) Sed Christus tibias universas projecit; parentes autem puellæ introduxit, ne posset dici, quod aliter curavit; sed & ante suscitacionem puellæ sermone spem erigit: unde sequitur: *Dicebat*: *Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit.* *Rabbanus*. Quasi dicat: Vobis mortua est; Deo autem, qui suscitare potest, (4) dormit tam in anima, quam in corpore. *Chrysostramus* (hom. 32. ante med.) Per hoc autem & tumultum mentis removit eorum qui aderant, & ostendit quoniam facile est ei mortuos suscitare: quod utique in Lazaro fecit dicens (Joan. 11.) „ Lazarus amicus noster „ dormit. Et simul docuit non formidare mortem: quia enim & ipse erat moriturus, in aliorum corporibus instruxit discipulos considerare, & visiditer ferre mortem. Etenim eo accedente jam mors somnus erat. Hoc autem Dominò dicente, (5) deridebant: unde sequitur: *Et deridebant eum.* Non autem increpavit derisionem, ut & ipsa derisio, & tibia, & alia universa, demonstratio fiant mortis: quia enim multotiens, postquam facta sunt miracula, non credunt homines, antea eos convincit propriis responsionibus: quod & in Lazaro fecit cum dixit (Joan. 11.) „ Ubi posuistis eum? „ ut qui dixerant, „ Veni, & vide, „ & quoniam „ sciet, quatridduans enim est, „ non amplius possint non credere, quoniam mortuum suscitavit. *Hieronymus* (super illud, *Et cum ejecta esset*). Non autem erant digni ut viderent mysterium resurgentis qui resuscitantem indignis contumeliis irridebant; & ideo sequitur: *Et cum ejecta esset turba, intravit, & tenuit manum ejus, & surrexit puella.* *Chrysostramus* (hom. 32. par. ante med.) Non quidem aliam superinducens animam, eam suscitavit, sed eam quæ exierat reintroducens, & velut ex femore erigens, ut ante viam faciat per visum fidei resurrectionis:

(3) *Al. hoc est* quod ipse ait. (4) *Al. vivit*.

(5) *Al. non* possum.

nis: & non solum puellam (1) resuscitavit, sed & cibum ei jubet dari, ut alii Evangelistæ dicunt, ut non videatur phantasma esse quod factum est. Sequitur: *Et exiit fama hæc in universam terram illam.* *Glossa*. Quod ad magnitudinem, & novitatem miraculi pertinet, & ad manifestam veritatem ipsius, ne confectum putetur. *Hilarius* (can. 9. in Matth.) Mystice autem Dominus domum principis, scilicet synagogam, ingreditur, cui in canticis legis hymnus lætum personabat. *Hieronymus* (super illud, *Et cum venisset in domum principis*). Usque enim hodie jacet in domo principis mortua; & qui videntur magistri, tibicines sunt, carmen lugubre canentes: turba quoque Judæorum non est turba credentium, sed tumultuantium. Sed cum intraverit plenitudo Gentium, tunc omnis Israël salvus fiet. *Hilarius* (can. 9. inter med. & finem.) Ut autem rarus ex lege credentium electionis numerus posset intelligi, turba omnis expulsa est; quam utique salvavit Dominus optasset; sed irridendo dicta, gestaque ejus, resurrectionis non fuit digna confortio. *Hieronymus* (super illud, *Et tenuit manum ejus*). Tenuit autem manum ejus, & surrexit puella: quia nisi prius mandata fuerint manus Judæorum, quæ sanguine plene sunt, synagoga eorum mortua non consurgeret. *Hilarius* (can. 9. in Matth.) Exeunte autem fama in universam terram illam, electionis salus, domini Christi, atque opera predicantur. *Rabbanus* (super illud, *Exiit fama ejus in universam terram illam*). Moraliter autem puella in domo mortua, est anima mortua in cogitatione. Dicit autem quod puella dormit, quia qui peccant in præsentem, adhuc per penitentiam resuscitari possunt. Tibicines sunt adulatores, qui fovent mortuam. *Gregorius* 18. Moralium (cap. 28. super illud Job 28., *Et mare loquitur*, Non „ est mecum: „ cap. 25. in nov. exemp.) Poras autem turba eiecit, ut puella suscitetur: quia nisi prius à secretioribus cordis expellatur sæcularium multitudinum curarum, anima quæ intrinsecus jacet mortua, non resurgit. *Rabbanus*. In domo autem puella paucis arbitris furgit, juvenis extra portam, & Lazarus coram multis: quia publica noxa publico eget remedio; levius leviori; & secreta potest deleri penitentia.

(1) *Hieronymus* (super illud, *Transiente Jesu*). Priori signo de principis filia, & morbosa muliere, consequenter signum de duobus cæcis adjungitur, ut quod ibi mors, & debilitas, hic cæcitas demonstraret; & ideo dicitur: *Et*

(1) *Al. resuscitavit*. (2) *Al. P. Nicolaus* habet voluit. (3) *Al. deest* veræ. (4) *Al. omittitur* ex hoc. (5) *Al. non* possum.

transiente inde Jesu, scilicet à domo principis, secuti sunt cum duo cæci, clamantes, & dicentes: *Miserere nostri fili David.* *Chrysostramus* (hom. 33.) Non autem parva hic Judæorum accusatio est, cum hi quidem oculis carentes, ex auditu solo fidem suscipiant; illi autem habentes visum non attestant miraculis quæ fiabant. Vide autem & eorum desiderium: neque enim simpliciter accesserunt, sed cum clamore, & nihil aliud quam misericordiam postulantes. Filium autem David vocabant, quia nomen honoris esse videbatur. *Remigius*. Recte ergo filium David vocant, quia Virgo Maria de stirpe David originem duxit. *Hieronymus* (super illud, *Miserere nostri fili David*). Audiant Marcion, & Manichæus, & ceteri hæretici, qui verus sanant testamentum, & dicant Salvatorem appellari filium David: si enim non est natus in carne, quomodo vocatur filius David? *Chrysostramus* (in hom. 33. in Matth.) Considerandum autem, quod multotiens Dominus (2) noluit rogatus sanare, ut non aliquis æternerum propter captandam honoris magnificentiam ad miracula infirmitate. *Hieronymus* (super illud, *Transiente inde Jesu*). Et tamen rogantes non curantur in itinere, non transitorie, ut putabant: sed postquam venit in domum illam, accedunt ad eum, ut introeant; & primum eorum discutitur fides, ut sic (3) veræ fidei lumen accipiant: unde sequitur: *Cum autem venisset Dominus, accesserunt ad eum cæci: & dixit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis?* *Chrysostramus* (hom. 33. in Matth.) Rursum autem hic erudit nos gloriæ multitudinis expellere: quia enim prope erat domus, ducit eos illic singulariter curaturus. *Remigius*. Qui autem cæcis reddere poterat visum, non ignorabat si crederent; sed ideo interrogavit, ut fides eorum, quæ gestabatur corde, dum confiterentur ore, digna fieret ampliori mercede, secundam illud Apostoli Rom. 10. „ Ore confessio fit ad salutem. „ *Chrysostramus* (hom. 33. in Matth.) Et non propter hoc solum, sed ut ostenderet quoniam digni erant curacione, & ut non aliquis dicat, quoniam si misericordia solum salvabat, omnes salvari oportebat. Ideo etiam fidem ab eis expetit, ut (4) ex hoc ad excellentius eos rediret: quia enim dixerant eum filium David, erudit quod oportet de eo majora sentire: unde non dixit, Creditis quoniam (5) possum rogare Patrem? sed Creditis quoniam possum hoc facere? de quorum responsione sequitur: *Dixit eis; Uti que Domine.* Non ultra filium David eum

(1) *Al. omittitur* ibi. (1)

eum vocant, sed alius (1) elevatur, & dominacionem confitentur. Ex tunc jam ipse imponit eis manum: unde sequitur: *Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis.* Dicit autem hoc, fidem eorum affirmans, & contestans, quoniam non adulationis erant verba quae dixerant. Postea curationem subiungit, dicens: *Et aperti sunt oculi eorum.* Deinde post sanationem jubet nulli dicere; & non simpliciter jubet, sed cum multa vehementia: unde sequitur: *Et comminatus est eis Iesus dicens: Videte ne quis sciat. Illi autem exierunt, diffamaverunt eum in tota terra.* Hieronymus (super illud, *Comminatus est illis Iesus*). Dominus quidem propter humilitatem fugiens iactantiae gloriam, hoc praeeperat; & illi propter memoriam gratiae non possunt tacere beneficium. *Chr. Iosifus* (hom. 32. in Matth. super *Cavete ne quis sciat.*) Quod autem alteri dixit (Luc. 8.) *Vade, & annuntia gloriam Dei,* non est contrarium: erudit enim nos prohibere eos qui volunt nos propter nos laudare. Si autem ad Domini gloriam refertur, non debemus prohibere, sed magis injungere ut hoc fiat. *Hilarius* (can. 9. in Matth. parum ant. fin.) Vel silentium caecis Dominus imperat: quia Apostolorum proprium erat praedicare. *Gregorius* 19. Moral. (cap. 18. super illud Job 39. *Oculus tui caecus.* cap. 14. in nov. exemp.) Querendum autem nobis est quid sit hoc quod ipse Omnipotens, cui hoc est velle, quod posse, & taceri virtutes suas voluit, & tamen ab eis qui illuminati sunt quasi iniquitas indicatur; nisi quod servus suis se sequentibus exemplum dedit, ut ipsi quidem virtutes suas occultari desiderarent; & tamen ut aliis eorum exemplo proficiant, prodantur inviti. Occultentur ergo studio, necessitate, publicentur; & eorum occultatio sit custodia propria, eorum publicatio sit utilitas aliena. *Remigius.* Allegorice autem per hos duos caecos duo populi designantur, id est Iudaeus, & Gentilis, vel duo populi Iudaeae gentis: nam tempore Roboam, regnum eius divisum est in duas partes. De utroque autem populo in se credente Christus illuminavit in domo, per quam intelligitur Ecclesia: quia absque unitate Ecclesiae nullus salvari potest. Illi autem qui ex Iudaeis crederent adventum Domini, per universum orbem diffamaverunt. *Rabbanus.* Domus autem principis synagoga est subdita Moysi; domus Iesus caelestis est Hierusalem. Domino ergo per hoc saeculum transeunte, & in domum suam revertente, duo caeci secuti sunt eum: quia praedicator Evangelio per Apostolos, multi ex Iudaeis, & Gentili-

(1) *Al.* dominantur. (2) *Al.* umquam.

bus coeperunt eum sequi. Sed postquam in caelum conscenderat, intravit in domum, id est in Ecclesiam, & ibi illuminati sunt. (g) *Remigius.* Pulchre illuminatis caecis, muto loquelam reddidit, & obsequium a daemone curavit: in quo facto ostendit se Dominum virtutis, & caelestis medicinae auctorem: nam per Esaiam dictum est (cap. 35.) *Tunc aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt, & aperta erit lingua mutorum.* Unde dicitur: *Egressis autem illis, ecce obrulerunt ei hominem mutum daemone habentem.* Hieronymus (super illud, *Obtulerunt ei hominem habentem daemone.*) Quod autem dicitur Graece *cophos*, magis ritum est sermone communi, ut tam surdus quam mutus intelligatur: sed moris est Scripturarum *epithon* indifferenter vel fundum, vel mutum dicere. *Chrysostronus* (hom. 33. in Matth.) Non autem natura erat haec passio; sed ex daemone insidias: ideoque & aliis indiguit qui eum adducerent: neque enim per seipsum loquere poterat sine voce existens; neque aliis supplicare, daemone animam cum lingua colligante; propter hoc neque expetit fidem ab eo; sed confestim aegritudinem sanavit, unde sequitur: *Et factus daemone, locutus est mutus.* *Hilarius* (can. 9. in Matth. circa finem.) In quo rerum ordo servatus est: nam daemone prius eiecit, & tunc reliqua corporis officia succedunt. Sequitur: *Et mirata sunt turbam dicens: Numquam apparuit sic in Israel.* *Chrysostronus* (hom. 33.) Praeponant quidem ceteris eum, non quia curabat solum, sed quoniam facile, & velociter, & infinitas aegritudines, & insanabiles sanabat. Hoc autem maxime pharisaeos contristabat: quoniam omnibus eum praeponebant, non solum his qui tunc erant, sed & his qui (2) antea genti fuerant in Israel: unde pharisaei concitati et contrario detrahebant propter quod sequitur: *Pharisaei autem dicebant: In principe demoniorum eiecit daemones.* *Remigius.* Scribae namque, & pharisaei facta Domini negabant, quae poterant; & quae non poterant negare, in sinistram partem interpretabantur secundum illud Psalmi 65. *In multitudinem virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.* *Chrysostronus* (hom. 33. in Matth. super illud, *In principe demoniorum.*) Eorum autem dicto quid est dementius? Non enim consingit potest, projicere daemone alterum daemone: suis enim applaudere consuevit, non dissolvere suae. Christus autem non solum daemones eiciebat, sed & leprosos mundabat, & mortuos suscitabat, & peccata solvebat, & regnum Dei praedicabat, & ad Patrem homines adducebat: quae

multoq non n. (2) dero

daemone neque possit facere, neque vellet. *Rabbanus.* Mystice autem, sicut in duobus caecis signatus est uterque populus, Iudaeorum, & Gentium; ita in homine muto, & daemoniaco, generaliter signatum est omne genus humanum. *Hilarius* (can. 9. in Matth. circa finem.) Vel in muto, & surdo, & daemoniaco Gentium plebs indigna totius salutaris inferatur: omnibus enim undique malis circumfessa, totius corporis virtutis implicabatur. *Remigius.* Gentilis enim populus mutus erat: quia in confessione verae fidei, & in laude sui creatoris os aperire non poterat; sive quia mutis idolis cultum impendebat, similis illis factus. *Daemoniaco* erat: quia per mortem infidelitatis diaboli imperis subditus erat. *Hilarius* (ibidem.) Dei autem cognitione, superstitionum omnium vesania eflugata, & visus, & auditus, & sermo salutis invehitur. *Hieronymus* (super illud, *Obtulerunt ei hominem.*) Sicut enim caeci lumen recipiunt, sic & muti ad loquendum lingua laxatur, ut confiteatur eum quem antea denegabat. In turba autem admirante confessio nationum est. Pharisaei autem per suam calumniam usque hodie Iudaeorum infidelitatem demonstrant. *Hilarius* (ibid.) Admirationem autem turbae talis confessio subsecuta est: *Numquam apparuit sic in Israel:* quia is cui per legem nihil opis afferri potuit, Verbi virtute salvatur. *Remigius.* Illi vero qui mutum sanandum Domino obtulerunt, intelliguntur Apostoli, & praedicatores, qui aspectibus divinae pietatis gentilem populum salvandum obtulerunt. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 29.) Quod autem hic dicitur de duobus caecis, & daemone muto, solus Matthaeus posuit. Illi duo caeci, de quibus alii narant, non sunt isti; sed tamen simile factum est, ita ut in ipse Matthaeus non etiam illius facti meminisset, posset putari hoc quod nunc narrat, dictum fuisse etiam ab aliis duobus. Quod commendare memoriae diligenter debemus, esse quaedam facta similia, (1) quod probatur non esse idem, cum ipse Evangelista utrumque commemorat; ut, si quando talia singulari apud singulos (2) inveniremus, atque in eis contrarium, quod solvi non possit, occurrat nobis, non esse factum idem, sed aliud simile, vel similiter factum. (h) *Chrysostronus* (hom. 33.) Voluit Dominus ipso facto redarguere accusationem pharisaeorum dicentium: *In principe demoniorum eiecit daemones:* daemone enim convicium passus non benefacit, sed nocet eis qui eum inhon-

S. Thom. Oper. Tom. VIII.
(1) P. Nicolajus habet quod probatur, cum idem ipse Evangelista utrumque commemorat.
(2) Al. inveniremur. (3) Al. per doctrinam.
Ex edit. P. Nicol. (4) Non est in Glossa quae nunc extat, sed in Anselmo.

rant. Dominus autem contrarium facit, qui post convicia, & contumelias non solum non punit, sed etiam nec increpavit, quinimo beneficium praestitit: unde sequitur: *Et circumbat Iesus omnes civitates, & castella.* In quo erudit nos accusatoribus nostris retribuere non accusationem, sed beneficia. Qui enim post accusationem desistit a beneficio, monstrat quoniam propter hominum laudem benefacit. Si vero propter Deum benefacis conlervis, quicquid illi fecerint, non desistis benefaciens, ut major sit merces. *Hieronymus* (super illud, *Et circumbat per omnem civitatem.*) Vides autem quod aequaliter & vicis, & urbibus, & castellis, id est & magnis, & parvis, Evangelium praedicaverit, ut non consideraret nobilitatem potentiam, sed salutem credentium. Sequitur: *Decans in synagogis eorum:* hoc scilicet habens operis quod mandaverat Pater, & hanc esuriam ut (3) doctrina salvos faceret infideles. Doceret autem in synagogis Evangelium Regni: unde sequitur: *Et praedicans Evangelium Regni.* *Remigius.* Intelligendum est Dei. Quamvis enim annuntientur bona temporalia, tamen non dicitur Evangelium: quia suis observatoribus non promittebat bona caelestia, sed terrena. *Hieronymus.* Post praedicationem autem, & doctrinam curabat omnem languorem, & omnem infirmitatem, ut quibus sermo non suaserat, opera persuaderent: unde sequitur: *Curans omnem languorem, & omnem infirmitatem:* quod de ipso proprie dicitur, nihil vocat ei impossibile est. *Glossa.* (a) Languorem quippe diuturnam infirmitatem, infirmitatem autem leves morbos. *Remigius.* Sciendum est autem, quia illos quos corpore sanabat fornicis, mente sanabat intrinsecus. Alii vero hoc facere non possunt sua potestate, sed per Dei gratiam. *Chrysostronus* (hom. 33. in Matth.) Non autem in hoc stat Christi bonitas, sed & aliam providentiam circa eos ostendit, viscera misericordiae circa eos expandens: unde sequitur: *Videns autem turbas, misertus est eis: Remigius.* Per quod officium boni pastoris magis quam mercenarii in se Christus ostendit. Quare autem misertus sit subiungitur: *Quia erant vexati, & jacentes, sicut oves non habentes pastorem:* vexati quidem a daemone; sive quia a diversis infirmitatibus, & languoribus erant attriti. *Rabbanus* (hoc loco.) Vel vexati per diversos errores, & jacentes, id est torpentes, non valentes surgere, & cum haberent pastores, erant quasi non haberent pasto-

rem. *Chrysostomus* (hom. 33.) Hæc principum Judæorum erat accusatio, quoniam pastores existerent, ea quæ luporum erant ostendebant: non solum enim non emendabant multitudinem, sed & nocebant eorum profectui. Illis enim admirantibus, & dicentibus, *Numquam apparuit sic in Israel*, & contrario dicebant, quoniam in principe dæmoniorum eiecit dæmonia. *Remigius*. Postquam autem Dei Filius de cælo prospexit in terram, ut audiret gemitus compeditorum, mox multa mæsis cepit augeri: turbæ namque humani generis fidei non appropinquassent, nisi quia auctor humanæ salutis de cælis prospexit in terram: & ideo sequitur. *Tunc dixit discipulis suis: Mæsis quidem multa, operarii autem pauci. Glossa.* (a) Mæsis ergo dicuntur homines, qui possunt meti à prædicato-ribus, & de collectione perditorum separari, ut grana excussa à paleis, postea in horreis reponantur. *Hieronymus*. Mæsis multa, populo- rum signat multitudinem; operarii pauci, pe- nuriam magistrorum. *Remigius*. Parvus enim erat numerus Apostolorum ad comparationem tantarum segetum. Hortatur autem Dominus suos prædicatores, idest Apostolos, & eorum sequaces, ut quotidie sui numeri augmentatio- nem exposcant: unde subdit. *Rogate ergo do- minum mæsis ut mittat operarios in messem suam. Chrysostomus* (hom. 33.) Latenter seipsum Do- minum ostendit: ipse enim est qui mæsis est do- minus. Si enim metere misit quæ Apostoli non seminaverunt, manifestum est quoniam non aliena metere misit, sed ea quæ ipse per Pro-

(1) *M.* numerum.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Ex Anselmo, ut supra, non ex Glossa quæ nunc est desumitur.

CAPUT X.

(a) **E**T convocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immu- dorum, ut eicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Duodecim autem discipulorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Thomas, & Matthæus publicanus, & Jacobus Alphaï, & Thadæus, Simon Cha- nanæus, & Judas Scarioth, qui & tradidit eum.

(b) Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis, & dicens: In viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis; sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquavit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, dæmones eicite: gratis accepistis, gratis dare.

(c) Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus est enim operarius cibo suo.

(d) In quantumque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exieris. Intrantes autem in domum salutate eam, di- centes: Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam;

pheta seminavit. Sed cum duodecim Apostoli sint operarii, dixit: *Deprecamini dominum mæsis ut mittat operarios in messem suam*: & tamen nullum eis adjecit, quia scilicet eos jam duo- decim existentes multiplicavit, non (1) numero adjiciens, sed virtutem largiens. *Remigius*. Vel tunc augmentatus est quando designavit & alios septuaginta duos, & quando sunt facti multi prædicatores. Spiritu Sancto descendente super credentes. *Chrysostomus* (hom. 33.) Ostendit autem quam magnum donum sit hoc, scilicet ut aliquis habeat virtutem decenter prædicandi, per hoc quod dicit hoc esse orandum. Commemorat autem in hoc loco verborum Joannis de area, & ventilabro, & palea, & frumento. *Hilarius* (can. 10. in Matth. parum à princ.) Mystice autem, & castella omnia, virtute, & ingressu Christi illuminantur, & omnem infirmitatem veterem languoris evadunt. Immundi autem spiritus dominante violentia vexatam, & sub legis onere ægrotam plebem Dominus miseretur: quia nullus adhuc eis pastor erat custodiam Sancti Spiritus redditurus. Erat autem doni istius copiosissimus fructus, cujus copia haurientium multitudinem vincit: nam quantumlibet assumatur à cunctis, ad largiendum tamen semper exuberat: & quia plures esse utile est per quos ministraret, rogari dominum mæsis jubet, ut ad capendum quod præpara- batur donum Spiritus Sancti, messorum copiam Deus præset: per orationem enim noc minus à Deo nobis effunditur.

eam; si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.

(e) Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cavete ab hominibus; tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præfides, & ad Reges ducemini propter me, in testimonium illis, & Gentibus.

(f) Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.

(g) Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium; & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient; & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

(h) Cum autem persequerentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis: non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.

(i) Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, & servo sicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?

(k) Ne ergo timeritis eos. Nihil enim est opertum quod non reveletur, & occultum quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.

(l) Nonne duo passeris assè vevunt; & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.

(m) Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.

(n) Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam; & inimici hominis, domestici ejus.

(o) Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus; & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus; & qui non accipit crucem suam, & sequitur me non est me dignus. Qui invenit animam suam, perdet illam; & qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam.

(p) Qui recipit me, me recipit; & qui recipit me, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & qui recipit justum in nomine justii, mercedem justii accipiet; & quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigide tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

(a) **G**lossa. (a) A curatione socrus Petri usque huc continuationem habuerunt relata miracula; & fuerunt ante sermonem in monte habitum facta: quod ex electione Matthæi, quæ inter ipsa refertur, indubitanter habemus: fuit enim unus de duodecim electus in monte ad apostolarum. Hic autem redit ad ordinem rei, sicut gesta est, post curatum centurionis servum, dicens: *Et convocatis duodecim discipulis. Remigius*. Narraverat enim su-

pra Evangelista, quia cohortatus est Dominus discipulos rogare dominum mæsis ut mitteret operarios in messem suam; & quod hortatus est, hoc nunc implere videtur. Duodenarius enim numerus perfectus est: nascitur enim à senario, qui perfectionem habet, eo quod ex suis partibus, quæ sunt unum, duo, & tria, in seipsum formatur: senarius autem numerus duplicatus duodenarius gignit. *Glossa* (b) Quæ quidem duplicatio ad duo præcepta caritatis, vel

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nempè collateralis ad initium cap. 10. quod incipit ab illis verbis: *Videns autem turbas miserosus est eis*, etiâ accomodetur; & applicetur illis à quibus hic incipit. (b) Non est in Glossa quæ nunc extat, neque in Anselmo, vel alibi occurrit: etiâ pars ejus prima quoad præcepta caritatis ex Gregorio sumi potest hom. 17. in Evang. super illud Luc. 10. *Misit illos binos, etc.*